DE ORCHEOPYOSI.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICO-CHIRURGICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITERARIA
FRIDERICA GUILELMA
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE I. MENSIS NOVEMBRIS ANNI MDCCCXXXVII.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

ALEX. ALTDORFER.
SILESIUS.

OPPONENTIBUS:

WILLIAM PHEMEL, MED. ET CHIR. DR.
EMANUEL POLOMSKI, MED. ET. CHIR. DD.
RUDOLPH FUHS, MED. ET CHIR. CAND.

BEROLINI,
TYPIS NATORFFIANIS.

HAS

QUALESCUNQUE PAGELLAS

SUMMA CUM DEVOTIONE

CONSECRAT

AUCTOR.

Quemadmodum structurae et functioni, ita morbis quoque testiculi multa insunt singularia, obscura et quod ad alias partes analogas differentia.

Inflammatio testis universim in acutam et chronicam distinguitur, quae divisio non solum temporis spatio symptomatumque vehementia, sed etiam, ut jam Richter et Kirkland extra dubium posuerunt, sede in parenchymate aut in telis testem obvelantibus nititur. Utroque autore inflammatio substantiae testis solius levibus doloribus et exiguis aliis inflammationis phaenomenis conjuncta est, dum acuta inflammatio, saepissime symptomata herniae incarceratae praestans, praecipue tunicas testiculi occupat. Tamen utraque inflammatio, sicuti cerebri ejusque meningum, rarissime inter se stricte sejungi posse videtur.

Plurimae orchitides, excepta traumatica, gonorrhoeae superveniunt. Quare prius orchitis tantum pro metastasi hujus morbi, tum pro ejus complicatione, affectione consensuali inducta, habebatur; attamen plerumque hoc modo origo orchitidis nimis audacter explicatur, gonorrhoea tantum causam praedisponentem hujus morbi sistere et ad causas occasionales talia irritamenta numeranda videntur, quae etiam in telis membranis testium similibus hoc processu pathologico correptis inflammationem procreare queunt. Quidni e. g. rheumatica inflammatio telam fibrosam tunicae vaginalis testis communis

potest, aut assumto charactere chronico, aut decursu ipso acuto, si adsunt momenta modo dicta. Observatur hic eventus praecipue in hujusmodi affectionibus albugineae et telae cellulosae, tunicae vaginali communi accretae. — Supra dicta et post epidemicum tumorem parotidis per metastasin orta orchitis, experientia testante, nunquam suppurationem subit.

Symptomata inflammationis ad suppurationem progredientis.

Si inflammatio testium in suppurationem transit pus plerumque in uno loco formatur abscessuumque cavitates gignit; nonnisi in inflammationibus, quae e vulneribus gravioribus, praecipue conquassationibus magnis, originem ducunt, pus in compluribus apparet locis aut totum testiculum obruit. Inflammatione testium substantiam ipsam aggressa, praeter volumen adauctum, aliquam duritiem et exiguum aut fere nullum dolorem, nihil signorum apparet. Qui morbus saepissime per hebdomades, vel menses perdurat haud mutatus, et omni curationi pertinacissime reluctatur, aut curatio, quum aegri non nisi parvas sentiant molestias, omnino negligitur. Post aliquod tempus locus plane circumscriptus tumoris sensilior fit, intumescit, mollitiem majorem adsciscit, rubescit, vel curatione idonea vel sponte aperitur et pus effundit aut bonum, aut parvis flocculis cinereis mixtum. Saepe, praesertim si alii morbi, ut hydrocele tunicae vaginalis communis, simul adsunt, inflammatio chronica et, quae sequitur suppuratio, omnino negligitur atque demum ad curationem morbi complicati radicalem incisione instituta forte invenitur.

Inflammatio testiculorum, quae cum tunicarum testium inflammatione simul existit, transiens in suppurationem sequentia offert symptomata. Aut inflammatio acuta membranarum regularis decurrit atque ad sanitatem, redit, duritie et intumescentia testis remanentibus atque sub symptomatibus supra memoratis in suppurationem rupturamque transeuntibus; aut inter decursum acutum ipsum signa inflammationis paululum decres-

cunt, contra cum doloribus pulsantibus et interdum nova febrili reactione locus circumscriptus emergit, fluctuationem offert et natura aut arti aperitur. Eadem signa, quae hoc in casu exstant, in suppurationem transitus illius inflammationis praebet, quae sedem in integumentis testiculorum habet, praesertim, ut supra dictum, in albuginea atque in tela tunicae vaginalis cellulosa.

Decursus suppurationis.

Quae ad suppurationem progressa orchitis (orchitis apostematosa, orhheopyosis, orcheopyocystis vera, seu interna, abscessus testiculi) in decursu quoque ulteriore permultas offert diversitates, quae partim sede ejus propria, partim vitalitatis affectarum regionum gradu niti videntur.

Abseessus glandulae ipsius initio aut bonum procreat pus atque processus granulationis et cicatrisationis eodem modo regularis decurrit, ita ut tempore haud longo claudatur - aut pus in ipso primordio quoque cinereis filamentosis flocculis, qui ex canaliculis seminalibus corruptis constant, est commixtum, nullae cernuntur granulationes, pus hanc tenet indolem, donec tota glandulae substantia consumta sit, ex quo granulatio et cicatrisatio regularem adsciscunt decursum, in tunica vaginali autem nihil aliud remaneat, nifi albuginea, et epididymis; aut denique pus his quidem particulis haud commixtum est, sed minime habet illam speciem, quam sanatio normalis postulat, sed est tenue, aquosum, partes, quae testiculum et epididymidem aut utrumque per totum ambitum circumdant, per inflammationem chronicam callositatibus obruuntur, status morbi per menses vel annos perdurat atque, ut verbo totam rem eloquamus, fistula testiculi, aut sic dicta seminalis, oritur.

Si suppuratio tunicae albugineae abscessum procreavit, tota haec membrana inflammatione emollitur ct inflatur, aut suppuratione consumitur et si abscessus cutem perscindit, saepissime tota plane integra testiculorum substantia alba et filamenta longa formans in foramine scroti apparet, aut a

chirurgo minus cauto, aut morbo suppuratorio affecta, sponte ac paulatim secedit, ex quo abscessus clauditur, toto testi consumto. Si huic casui occurritur bonaque suppuratio adest, fovamen coalescit, aut testi granulationibus obruto, itaque cum membranis concreto, imo, quod experientia docet, non concreto.

Suppuratione a tunica vaginali aut tela ejus ceslulosa exorta, quae res rarissime cernitur, interdum advenit casus quam minime peculiaris, qui magnum timorem excitare potest, nimirum fungi, qui e membranis morbo ipso degeneratis fibrosis succrescunt, neque aliter abscessus sanatur, nisi hac carne luxuriante ablata. Interdum necrosis tunicae vaginalis partialis talem abscessum procreat, suppuratio, nisi pars necrotica tota expulsa sit, mala est atque demum post illius partis dejectionem meliorem induit speciem rationeque consueta cavum explet.

Non possumus, quin hic descriptum decursum orcheopyoseos testisque integumentorum cum suppuratione cerebri ejusque membranarum brevibus comparemus, quum secundum nostram sententiam inter omnes analogias cum hacce similitudinem maximam alat. Quae similitudo et in sanatione animadvertitur, quippe quae, in tali statu organi tam gravis, quamvis raro, tamen observetur. Saepissime suppuratio substantiae cerebri tam occulte et cum inflammatione adeo abscondita irrepit, ut aegri longum tempus post causam occasionalem, saepe post inflammatienem acutam, subito atque ex improviso mortem occumbant atque sectio denique puris in cerebro praesentiam ostendat. Etiam casus adsunt, in quibus, imo dum aegri vivebant, signa pressionis cerebri exstiterunt, quae trepanationem postularunt, in quibus integumenta normalia spectabantur, neque nisi altis incisionibus per cerebrum ductis cavum puris inveniebatur. Pus tum morbi sede modificatum puri testis simillimum erat atque in nonnullis casibus sanatio animadversa est sub iisdem signis quae exstant in abscessu testiculorum. — Suppuratio integumentorum cerebri eo majorem praebet similitudinem cum suppuratione tunicarum

testium, cum utraque tela eidem membranarum classi adnumeretur. Quare, membranis suppuratione consumtis, prolapsus per foramina trepanationis apparens cerebri par est prolapsui testiculorum descripto. Fungi durae matris degeneratae atque necrosis et exfoliatio ejusdem membranae aut partialis aut lamellaris plane congruunt cum descriptis tunicae vaginalis communis phaenomenis.

Complicationes orcheopyoseos.

Praecipue has complicationes commemorare nos opportet: gonorrhoeam, stricturas urethrae inflammatorias, complures abdominis morbos, ut haemorrhoides, quas jam inter causas praedisponentes retulimus. Quibus omnibus complicationibus omissis, nonnisi de hydrocele tunicae vaginalis communis nonnulla dicamus. Qua affectione hydropica veteres judicabant testem innatantem corrumpi, i. e. metamorphosi morbosa affici posse, quae sententia tamen tunc temporis plane seposita, causis sufficientibus superstructa non est. Quare minime causa est, suppurationis; imo maxime verisimile est, hanc humoris cumulationem et hoc in casu sequelam esse resorptionis, inflammatione glandulae chronica oppressae. Diagnosis abscessus testium demum complicatione remota certior reddi potest.

Orcheopyosin, vulnera testium sequentem, non complicationem, sed exitum vulneris habere oportet, neque ea hic loci digna est memoratu; — Atque orcheopyosis ad alios quoque morbos accedit, quibus substantiae alienatae in teste ipso ejusque involucris deponuntur, e. g. ad tuberculosin, ubi tubercula, ad stadium emollitionis provecta, tunicas testem involventes perrumpunt, quasi vi corporum alienorum inflammationem, suppurationem, fistulasque vicinarum partium procreantia; eundem effectum praebet substantia ossea intra tunicam albugineam vel vaginalem secreta.

Morbi analogi.

Hic enumeranda sunt: 1, Carcinoma et fungus medullaris

2, Tubercula 3, Hydatides tunicae vaginalis communis 4, Humores serosi intra tunicam vaginalem propriam testis, in decursu orchitidis acutissimae accumulati.

In diagnosi constituenda forte suppuratio, inflammationem chronicam secuta, cum scirrho, qui in carcinoma transiit atque cum fungo testium medullari confundi potest. In compluribus casibus diagnosis diffieillima fit, p raesertim priusquam abscessus apertus est, multique testiculi hoc errore perierunt. Quandumus diversi illi processus pathologici sint, qui tali substantiae testium degenerationi, quam nomine scirrho et fungo medullari comprehendimus, favent, tamen horum morborum sequelae cum abscessu testium chronico his in rebus consentiunt, praebent enim: tumescentiam, fluctuationem in uno vel compluribus locis, dolorem saepissime parvum, decursum chronicum. Haud difficillis diagnosis horum morborum est, si abscessus aperti sunt; tum enim ad diagnosin constituendam accedunt signa universalia, quae malignitati mali consentanea sunt, et localia omni modo characteristica atque nota in illis morbis, — in his reactio quam minima jam supra descripta. Disseremus igitur hoc loco tantum de carcinomate occulto, fungo medullari haud aperto et abscessu adhuc clauso,

Eodem modo, si orchitis chronica saepius recidiva, aut orchitis chronica inflammationem acutam secuta in suppurationem transit, anamnesis omne dubium de mali natura suspendit. Itaque difficultas diagnoseos tantum inflammatione nititur, quae, ex abdominalibus morbis et dyscrasia scrophulosa emergens, inter prima exordia in suppurationem transit. Facilior fit diagnosis, si habitus universalis dysransiam saepius animadversam propriamque carcinomatosam vel scirrhositates et carcinomata aliarum glandularum offert, difficilior, ubi haec non inveniuntur; clarior diaguosis est, si causae adsunt, quae dispositionem hereditariam scirrhi et fungi medullaris verisimilem reddunt. Ubi haecce non reperiuntur, meditemur necesse est, inflammationem suppurationemque volumen testis non ita augere posse, quam scirrhum et fungum medullarem; scirrhum

habere duritiem propriam, quasi eburneam et dolores pathognomonicos usque ad regionem sacralem pergentes et pungentes; fluctuationem in fungo medullari compluribus in locis per longum tempus perdurare, neque alia signa adesse abscessus ad rupturam vergentis. Si omnia haec diagnosin haud illustrant, certo satius est, ut malum pro graviori habeamus itaque caremus.

Similis tuberculorum ratio est. Quibuscum plerumque conjuncta dyscrasia scrophulosa totaquae anamnesis in suspenso tantum relinquere potest, utrum iuflammatio scrophulasa, an tuberculosis sit. Tubercula, sive unum sive plura in testi adsint, formant tumorem salebrosum. qui sensim crescens in stadio emollitionis partes vicinas ad inflammationem et suppuratinoem perducit ac fistulam gignit, quae tuberculis eliminatis clauditur, quo facto, si tantum unum tuberculum affuit, testis integer manet, aut, si plura fuerunt, idem processus in alio loco recurrit, interdum tam saepe, ut totus testiculus consumatur; interdum testis in substantiam tuberculosam plane commutatur, ita ut tela fili formis omnino evanescat. Quibuscum signis si simul tubercula pulmonum exstant, ut fieri solet, diagnosis facilis est, tum vero hic tecticuli morbus minorem dignitatem habet. In omnibus reliquis casibns nullius momenti est, hos morbos stricte inter se disjungî, praesertim cum saepius juncti inveniantur.

Hydrocele tunicae vaginalis communis a testium abscessu facile discernitur; complicationem utriusque morbi melius suspicari, quam certo dignoscere possumus. Imo si hydatides intra tunicam vaginalem in membranis testem proxime circumdantibus formatae sunt et si per tumorem fluctuationemque similitudinem nonnullam cum testium abscessibus praebent, tamen jam indoles utriusque signi aliaque, quae eodem tempore reperiuntur, potius per mutationem cum hydrocele, quam cum abscessu, admittant.

Haud raro in decursu inflammationis testiculi acutae fit, ut in cavo tunicae vaginalis propriae testis humor seroso-cruentus secernatur atque inter scrutandum fluctuationis sensum

afferat, quae res fluctuationi, ex puris magna copia ortae, maxime similis videtur. Error hac in re saepissime tristem eventum inducit, quare quam maxime caveamus, totumque decursum omni ratione pensitemus; quod vero sufficit, ne in errorem et curationem perversam incidamus.

Prognosis.

Exitus quam exoptatissimus mali nostri sanatio est, aut sine omni, aut cum minima testis jactura; pessimus totius testiculi consumtio. Si ad hos exitus respicimus prognosis variat:

1) quod ad sedem attinet, suppuratio glandularum substantiae saepissime testiculi exitium infert; rarius suppuratio tunicae albugineae, rarissime omnes reliqui abscessus.

2) quod ad exstensionem suppurationis certo minor abscessus meliorem reddit prognosin, quam major.

3) quod ad puris indolem attinet, abscessus deterius augurium exhibet, qui pus profert odore phosphorico insigne cinereisque flocculis commixtum, quam qui habet pus normale.

4) quod ad suppurationis causas, quo diutius illae egerint, eo major erit destructio; quare quo facilius removeri queunt, eo melior prognosis et vice versa. Hanc ob causam suppurationes testis scrophulosae infaustiorem prognosin edunt, quam quos per longius tempus adhibiti cereoli procreaverunt.

5) quod ad morbi diuturnitatem, abscessus, cujus sanatio in longum protrahitur, paulatim in fistulam testiculi pertinacissimam transit.

6) quod ad complicationes, omnis complicatio pejorem reddit prognosin; pessimam praebet complicatio cum hydrocele tunicae vaginalis communis, quae plerisque in casibus testiculi exitium efficit.

Curatio.

Praeter indicationes, quas curatio abscessuum generatim requirit, hic complura singularia momenta haud negligenda sunt.

Maturatio nonnisi eo usque est continuanda, donec praesentiam locumque puris definitum satis novimus, ne substantia testiculi ulla ex parte pereat. Modica suppuratio functioni teticuli omnimo non nocet. Remedium optimum, quod maturitatem affert abscessus, sunt cataplasmata, quae etiam, si transitus in suppurationem adhuc dubius videtur, plane insontia inveniuntur eademque ratione resolutioni inflammationis favent. Heister usum emplastri ex hyoscoyamo parati, vel emplastri diachyli compositi commendat, quod simul dolores quam promtissime removere valeat.

Incisio abscessus quam celerrime instituenda, neque unquam expectandum est, dum cuti integumentisque pure consumtis ichor sponte in lucem prodeat; alias enim major testiculi pars perit, quam fas est. Simulatque suppuratio signis supra allatis confirmatur, testiculo manu sinistra arrepto et fixo, puri parva punctione ad lucem via muniatur, quam punctionem tamen tantam habere oportet magnitudinem, ut digito sedem ambitumque cavi abnormis ambire possimus. Incisio major prolapsum jacturamque testiculi infert. Audacem vero sectionem quam maxime caveamus, ne, si humorem ex acutissima orchitide ortum atque intra tunicam vaginalem testis propriam collectum, pro abscessu testiculi habuerimus, punctio gangraenam testiculi inducat. Sin autem abscessus in parte glandulosa aut in tunica albuginea testiculi habet, in pure cinereos flocculos et fibras illas reperiemus, quarum excretionem pressione aut ex tractione praepopere agere non licet. Itidem immissio lintei carpti in abscessum aliarumque rerum ut plane evitetur opus est. Nonnulli chirurgi, Petit et David, remedia balsamico-irritantia in abscessum immitti jubent: melrosatum, balsamnm Arcaei, balsamum Fioraventi, oleum terebinthinae etc. Multo melius est, curationem secundum vitalitatis gradum instituere; quare si vita abscessus exigua videtur, illa remedia adhibenda sunt; attamen semper vinctura simplex et cataplasmata eventum exoptatum pollicentur. E contrario si inflammatio gradum normalem superat, fomentationes ex aqua saturnina tepida, quibus, si dolores magni sunt, opium

et infusum florum chamomillae admiscere possumus, multo meliorem effectum praestabunt. Praeterea haud obliviscamur causas, quae suppurationem et interdum pus pessimum procreant, sed eas, qualescumque sunt, amoveamus quam celerrime.

Eadem curatio in abscessus tunicae vaginalis convenit; caro, quae interdum hic existit, fungosa et luxurians, postulat remedia adstringentia et, ubi haec non sufficiant, scalpello, quod minorem efficit dolorem, aut cauterio amoveatur.

Inter complicationes tuberculosis proprium curationem minime requirit, si totum reliquum corpus illius dyscrasiae expers apparet; tum materia peccans removeatur ratione supra memorata foramenque sanetur; sin autem pulmones iisdem tuberculis impleti sunt totusque testis quasi in unum tuberculum commutatus, nulla curatio quidquam praestat atque excisio testiculi morbo universo plus nocebit quam proderit, quod et faustissimo in casu irritatio generalis decursum morbi gravioris accelerabit. Si operatione radicali hydroceles, per incisionem instituta, abscessum testiculi reperimus, minime fas est, conservationem testiculi respicere, quae ut experientia docuit, nunquam hoc in casu effecta est, imo vero per magnam et periculosam ulcerationem sanationi gravissima impedimenta objicit; multo melius est, excisionem testiculi statim instituere, tanquam remedium, quo sanationis simplicitas et celeritas obtineatur. Hic igitur a Richteri sententia discedendum est, qui pus in testi et scroto collectum nunquam sufficere putabat ad castrationem indicandam, quamquam illa sententia in casu, quem Richter [1]) affert, maxime apta et vera est. Castratio ipsa concedi potest, si ex conquassatione gravi magna testiculi pars in suppurationem trannsivit eaque multis fistulis cutem perupit.

---

[1]) cf. Richter's chirurg. Biblioth. 4. Bdes 2. Stück: Charna v. e. glückl. vermied. Castration im Journal de Med. Chirurg. et Pharmac. etc.

De fistula testiculi, sic dicta seminali.

Si pus pravam indolem adsciscît, partes vicinae callositate obteguntur, fistulaque testiculi formatur, dum causae, quae suppurationem ipsam protrahunt et procreant, (ut Clossius contendit, haemorrhoides, semper unicae) hunc decursum efficiunt attamen haec res et sine causis, ut videtur, apertis existere potest. Impedimentum sanationis tum praecipue ambitus callosus est, ut paucis dicam, omnia invenimus, quae circa alias fistulas sexcenties observata sunt. Fistulam seminalem eum statum nominarunt medici, qui credebant, per hanc fistulam canaliculos seminales cum apertura externa commercium inire, semenque ideo effluere et in hoc causam cerni, quod difficulter fistulam sanare possimus. Casus postea enarrandus multum huic hypothesi affert ponderis. Sin autem fistula seminalis per longum tempus duraverit, aeger humorum jactura continua omnibus viribus destitui dicitur, ita ut febri hectica corripiatur et in magnum vitae periculum incurrat. Tamen jactura seminis ipsius hucusque dubia videtur, nam quae effluit substantia, minus criteria pathognomica seminis offert, quam, ut videtur, secreti communis fistularum indolem.

Curatio fistularum testiculi nititur praecipue callositatum exterminatione. Quare ablatis, quae fortasse adsunt, causis gastricis, haemorrhoidalibus aut scrophulosis, quarum hac imprimis Jodo et medicamentis ex eo paratis apte curantur, topica curatio cataplasmata emollientia, melius involutiones per habenulas linteas emplastro linitas requirit. Quae remediae si frustra adhibentur, necesse est callositates illae aut cultro plane abscindantur, aut certe magnae incisiones instituantur perinde ac in fistulis aliarum partium. Ultimum refugium in castratione positum est.

Historiae morbi memoratu dignae.

Exemplum abscessus testiculi e causa scrophulosa Schwediaur [1]) de juvene, 22 annos nato et induratis colli glandulis tussique pertinacissima, sputis cruentis conjuncta, laborante, cujus funiculi spermatici saepissime intumuerant, his verbis tradit: — — „Post nonnullos menses venit ad me et questus est de testiculo sine aliqua causa sibi conscia valde indurato' sed paulum dolente. Confessus vero est se masturbationi deditum fuisse.

Praescripsi cicutam et sensim sensimque alia resolventia et laudatissima medicamina ad usum internum et externum, nec non venaesectionem, sed sine omni effectu.

Testiculus major evasit, dolores vehementiores donec perrupta cute paululum puris efflueret. Tunc temporis rus proficissi coactus sum et post nonnullos menses redeunti mihi dixit, per totum tempus ex ulcere pus effluxisse simulque vero quotidie nonnulla fila alba per foramen abiisse. Ulcus fere sanatum fuit, testiculus vero magnitudine nucis parvae; nonnullis hebdomadibus post ulcus re vera clausum est, tussis vero corporis macie non admodum aucta perduravit. Funiculi spermatici normam naturalem habuerunt; sed sequentis anni eodem mense alter testiculus intumescere coepit.

Chirurgus expertus, qui mecum anno praeterlapso aegrotum curaverat, me absente in auxilium vocatus est et adhibitis omnibus, quae mea opinione in ejusmodi casu adhiberi possunt, medicaminibus, tamen aegrotus post decem hebdomades, quum ad urbem rediissem, nihil melius se habuit. Septima hebdomade tumor cutem rupisse dicebatur, ex quo tempore fere quotidie eadem fila ex ulcere, quam antea in altero teste, prodiisse videbantur, qua re post tres menses hic testiculus tam exiguus, quam alter evasit. Funiculi spermatici non

---

[1]) cf. Practisch. Bemerkungen über hartn vener. Zufälle von F. Schwediaur.

erant tumidi et aegrotus vitium pristinum se ex duobus annis omisisse affirmavit. Tussi eodem modo perdurante duobus annis post obiit. — In sectione cadaveris, quae tubercula in utroque pulmone, in altero vomicam ostendebat, medicus testium statum scrutari oblitus est."

Casum orcheopyoseos ex tensae ex causa traumatica narrat Roestel [1]): „Figulus. 39 annos natus anno 1799 scalam cum vase argilla impleto adscensurus, rupto gradu in sequentem ita incubuit, ut ei insideret et testiculus vehementissime quassaretur. Paupertate et pudicitia motus nullum medicum in auxilium vocavit. Tertio die, dolore et tumore valde adauctis tonsori suo, militi, de malo suo questus est, qui malum pro genorrhoea suppressa habuit et lac tepidum in urethram injicere commendavit. Quatuor hebdomadibus praeterlapsis tumore et dolore jam non increscentibus, sed etiam nondum decrescentibus vetus et ignarus chirurgus in consilium vocatus morbum herniam declaravit et fasciam prochernia imposuit, quam vero aegrotus tolerare non potuit, etiam frictiones medicaminum spirituosorum propter dolorem auctum interpositae sunt. Quarto mense post laesionem duo chirurgi malum pro hydrocele tunicae vaginalis communis habuerunt et in ineriorem snperfficici anterioris partem tumoris tricarium infixerunt.

Parum tantum sanguinis, nihil aquae apparuit. Vnlnus intra nonnullos dies consanuit, dolor vero in tumore ita auctus est, ut aegrotus lectum relinquere non posset. Intravit febris et ex vulnere post octo dies denuo aperto multum fa. nici male olentis effluxit. Suppuratio haec corrupta quatuor hebdomades duravit, tunc dolor, febris et suppuratio minuebantur et vulnus iterum concrevit.

Tumor nihil diminutus erat, aegrotus suspensorio usus est et menses nonnulli leviores erant- Tandem iterum vehemens

---

[1]) cf. Mursinna's Journal für Chirurgi, Arzeneikunde und Geburtshilfe. Bd. I. Stück 3 X.

dolor febre concomitante et tumore admodum increscente ortus est. Post duodecim dies in tumoris posteriore parte foramen extitit, quum aegrotus in eo esset, ut in curriculo nosocomium caritatis peteret, sperans fore, ut ibi sanaretur. Aegrotus mensuram puris maleolentis et cum sanguine coagulato mixti effluxisse dixit.

Secundo Maji 1800 hora undecima ante meridiem aegrotus in nocsocomium venit, vehementi febre et magnis doloribus cruciatus. Scrotum valde tumidum, proecipue aeva pars; longitudo ejus erat octo, diameter sex digitorum, totus tumor duritiem lapideam et inflammationem ex caeruleo celore atram supra anulum abdominalem exeuntem praebebat. In posteriore latere foramen magnitudine digiti demidii aderat, quo multum male olens corruptumque pus effluxit et tactus minimus vehementissimos dolores procreavit. Testis dexter integer fuit et tactu facile cernebatur. Aegrotus magna siti, anxietate, pulsu parvo, duro, celeri, lingua humida et ex maxima parte pura, abdomine expanso, neque tamen dolente, laboravit. Etsi color facici pallidus erat, vires admodum minutae videbantur, tamen unciae sex sanguinis ex vena hrachiali detractae sunt et clysma alvum jam octo dies obstructam solvit. Praeterea sal mirabile Glauberi cumanitro aqua solutum et acido citrico conjunctum in usum vocavimus, in tumorem cataplasma emolliens applicavimus.

Tum sensim sensimque symptomata supra memorata decrementum ceperunt, novum foramen vero ortum est, febris non plane evanuit et vires non augebantur. Externa curatio servabatur, ad internum usum vero infusum corticis Chinae victus potusque roborans ordinata sunt.

Tertio die tumore minuto, inflammatione membranarum externarum remota, utraque apertura in unam coierat et totus testis una cum funiculo spermatico duricissimus et tumidus cernebatur. Magna copia puris pessimi, febris hectica vespertino tempore intrans et tumor talis duritiei, qualis resolutionis spem non praeberet, operationem indicabant mox instituendam. Decimo mensis Maji excisionem testis modo vulgari

instilui et cura simplici jam septima hebdomade sanatus nosocomium reliquit, quamvis prognosis minime bona statuta esset.

Tectis pure albo adoris volatilis impletus, vasa tenera seminalia facile explicanda, ulcus usque in internum testem penetrans, tunica vaginalis communis perforata; epididymis maximam tumoris partem etiam valde duram, pure vero nondum corruptam efficiens, inveniebantur.

Plura exempla orchitidis, ex urethrae irritatione chronica ortae; quorum unum, quo aegrotus ad sanandas stricturas cereolis usus erat, in spupurationem exierat, memorat Goodland [1])

Huc pertinent etiam Kirklandü observationes, quarum altera exemplum praebet suppurationes testiculi ex orchitide quasi chronica, post acutam restitante, altera vero ex orhitide chronica jam ultra annum perduante. In utroque casu abscessu arte aperto perfecta sanatio contigit. [2])

Abscessum ex tunicae albugineae depravatione multos memoratu dignos casus apud auctores invenimus.

Morandii observatio: Juvenis post morbum syphiliticum abscessu testicuii, seroto aperto, laboravit. Quum per nonnullos dies suppurassit; vulnus impletum est carnem albicante quadam, tactu molli. Nescio quomodo mihi in mentem venerit, hanc carnem duobus digitis prehendere, nam quae inde orta sint, plane non cogitavi. Vidi hanc carem extrahi posse, miratus sum valde, extracte parte bona sanguinem non in conspectum venire et observavi eam educi posse, sicuti fila lintea, multas ulnas sine discertione. Quae erant elementa testiculi ipsius hoc modo planeamedemta, ducta deinde est celeriter et facile cicatrix et nihil nisi tunica alba rugosa restitit, quare testiculi pars reliqua admodum parva erat et aegrotus nullas ex ea habuit molestias [3])

---

[1]) cf. The London medical furgical and pharmaceutical Repository etc. 1814. Vol II.

[2]) cf. Hr. Callisseus System der neuern Chir. von A. Callisen etc.

[3]) cf. Fr. L. Morand etc. vermischte chirurg. Schriften etc. Cap. III. Absch. I. Abthl. VIII.

Maxime nos edocent observationes quatuor, quas Petit [1]) divulgavit, quasque ad verbum refero.

I. Observ. Un malade à qui j'avais fait une opération, sur le corps de testicule, était en train de guérison: les douleurs et la fiévre étoient demuinuées, mais il sortait toujours par l'ouverture des péritestes, de cette même substance, que je croyois être du pus, quand elle étoit fluide; ou une suppuration de quelque escarre, lorsqu'elle avait quelque consistance; m'étant aperçu que quand ces ambeaux résistoient à leur séparation, il sortoit un peu de sang; je crus qu'il falloit ouvrir davantage, pour voir le fond, ce que je fis, et alors je reconnus que c'étoit la propre substauce du testicule que je tirois, laquelle n'étant composée que de petits vaisseaux, se développoit comme un peloton de fil, de la même maniere qu'on les dévide dans les préparations anatomiques aux testicules du rat, de l'homme et de la plupart des animaux.

Je cessai de tirer, et même d'essuyer ce qui sortoit par l'ouverture faite à la membrane, que je pansai par la fuite avec un plumoceau plat, trempé dans le baume de Fioraventi; et je continuai d'appliquer sur le reste de la playe, le digestif ordinaire: il ne sortit plus rien de semblable ni au pus ni aux escarres ou lambeaux dont il s'agit.

La playe du corps du testicule se mondifia, et les chairs se réunissant, il n'y eut qu'une seule playe qui fut assez promptement cicatrisée; le testicule étoit extrêmement diminué, et fut achérent à la cicatrice, comme cela ne peut être autrement: quand je dis, que le testicule étoit diminué, je veux dire qu'il avoit perdu plus d'un tiers de sa propre substance, que j'avois tirée à chaque pansement, le prenant pour du pas, ou pour escarre de pourriture.

II. Observ. J'al vu depuis un pareil cas, ou je fus appellé trop tard pour éviter cette faute; j'ai vu, dis-je, que

[1]) cf. Mem. de l'acad. roy. de chirurg. T. IV. Observations sur la supp. de la membr. propr. dutesticule.

toute la soubstance du testicule avoit été tirée; quil ne restoit plus que l'epididyme, lequel étoit gonflé assez considerablement pour qu'on le prit pour le testicule même: je ne fis point connoître ce qui en etoit, en présence du malade Etant sorti, mon confrere, innopicet du prétendu testicule, me demanda mon avis, il fut surpris de la confession que je lui fis de la faute que j'avais commise; et encore plus, or sque je la comparai a celle qu'il venait de faire: mais ayant rappelè toutes les circonstances, il convint que cela pouvait être; il me pria de voir de tems en tems son malade, ce que je fis avec plaisir. L'epididyme, qu'il croiyoit être le testicule, parcequ'il etoit tuméfié, devint dur et grossit encore d'avantage: et comme le cordon spermatique pouvoit permettre l'amputation, je la proposai, elle fut faite; et nous examinâmes a loisir la partie enlevée. Nous reconnâmes ce que j'avois dit, que le testicule avoit été, pour ainsi dire, dévidé comme un peloton de fil; que la membrane albugineuse étoit restée seule; et que jointe â l'epididyme, elle formoit avec lui le corps gonflé et endurci que l'on avoit pris pour le testicule.

III. Oaserv. J'ai vu arriver presque la même chose par une cause différente: mais a la suite et en conséquence d'un semblable procédé. Un gard-chasse reçut un coup de fusil, dont la balle lui perçu le scrotum de part en part, et en dommagea le testicule gauche; il avoit selon toute apparence les bources pendantes, car le dedans de la cuise gauche étoit entamé par le trajet de la balle de l'épaisseur d'un écu, et cétoit à trois travers de doigt plus, basque la blessure du scrotum: ce garde étant debout lorsquil reçut le coup, ces deux blessures auroient dû être à même hauteur si le scrotum eut conservé a situation; mais s'étant rettiré vers le ventre, la situation respective des parties blesseés avait été changée. Cette observation a son utilité. Comme l'entrées de la balle dans le scrotum, et sa sortie n'étoient éloignées que de deux pouce, l'une de l'autre, je jugeai qu'il falloit couper tout le trajet pour ne faire qu'une seul playe des deux

Pour cet effet, je portai une fou de creuse dans l'ouverture anterieure, pour la passer postérieurement afin de conduire un bistouri dans la cannellure de cette fonde, et de couper toute la partie du scrotum qu'elle comprenoit; mais je ne pus l'introduire, parceque je réncontrai le testicule dans le passage, ce qui me fit juger que celuci n'avoit point été perré par la balle: je tournai ma fonde avec douceur, et je la fis sortier par l'ouverture opposée; j'introduisis mon bistouri, le tranchant tourné vers le plus bas du scrotum, je coupai tout ce qui embrassait la fonde; et en écartant les deux lévres de cette playe, je trouvai les testicule entier, mais fort contus par la balle; parceque sans doute, il avoit été frappé au-dessous de sa partie moyenne, et avoit glissé de côté ou en haut, car la meurtrissure qu'avoit causée la balle, n'étoit pas directement à côte, ni directement en bas. Le malade pansé, je revins à Paris, laissant le blessé entre les mains du chirurgien du lieu, qui me demanda le quinzieme jour, parcequ'il étoit en peine d'un sinus, qui ne pouvoit se tarir, depuis huit ou dix jours quil le vuidoit fort exactement. Je trouvai que ce sinus étoit causé par la séparation d'une portion de la substance albugineuse, et que ce qui en sortait etoit la propre substance du testicule laquelle setant pourrie, sortait en forme de pus brun, accompagné de filets, que le chirurgien me dit avoir tiré fort exactement à chaque pansement. Comme il y avait huit jours qu'il en tirait, il ne retoit que fort peu de la substance du testicule: j'aggrandis l'ouverture de la membrane albugineuse; je pansai avec la charpie seche; étant forti, j'instriusis le chirurgien de ce que la chose étoit en elle-mêne, et je lui dis que j'avois beaucoup de part à la faute q'uil avoit faite: premierement, pour ne l'avoir pas averti de ce qui devait arriver; en second lieupour n'avoir pas fait des scarifications sur la contusion du testicule: il est vrai que je ne manqai à cette circonstance que parceque je ne croyois pas la contusion si forte qu'elle étoit. Maìsje fus confirmi dans l'usage où j'étois dequis plusieurs années, qnand il y a contusion au corps du testicule, de faire des scarifications plus ou moins

profondes sur la membrane albugineuse; si bien que quand la contusion est forte, je porte le bistouri jusques dans la substance du testicule; par ce moyen j'evite la perte de cette partie, comme on va le voir dans l'observation qui suit."

IV- Observ. „Un cavalier du regiment des cuirassiers reçut un coup de pied de cheval sur le scrotum; en six heures de temps la partie devint noire et grosse comme la tête. On le pans avec des compresses trempées dans l'eau de vie camphrée: on le saigna copieusement; mais malgré cette pratique on fut obligé d'ouvrir le scrotum des deux côtès: il sortit quantité de sang coagulé, et il en resta beaucoup qui etoit infiltré dans les cellules des membranes. Les testicules ne parossoient point gonflés, mais à la levée du premier appareil, ils parurent l'être considérablement; les ayant examinés, j'apperçus une fluctuation que je jugeai être causée par un fluide épanchés dans le péritestes; et comme cette membrane étoit brune je ne doutai pas qu'il n'yeût du sang; et parceque je sentois au toucher de la fluidité, je conches, que le sang qui y étoit contenu n'etoit pas entiéremant coagulé, parcequ'il s'etoit mêlé avec l'humeur, qui est naturellement dans cette partie, mais qui s'y étoit déposée en plus grande quantité en consequence du coup.

J'ouvris des deux côtés et dans toute l'étendue du péritestes; il en sortit beaucoup de sanie et quelques caillots de sang; les testicules n'étoient pas considérablement gonflés ni douloureux; ce ne fut qu'à la levée de ce second appareil qu'ils parurent beaucoup plus gros, durs, très sensibles et d'une couleur brune, ce qui d'aborome fut craindre la mortification; mais ayant fait rêflexions que cette couleur accompagne toujours les contusions, je regardai le tout comme une échymose. En consequence, je fis une incision de huit à dix lignes de long à chaque testicule, coupant la membrane albugineuse jusqu'à la substance du testicule; il sortit beaucoup de sanie: la couleur fut sur le champ moins noire, et encore moins le lendemain, si bien qu'elle ce dissipa hors deux points, grands comme l'ongle, qui tomberent en pourriture. Appa-

rement que ces deux endroit avoients été plus vivement pressés contre les os, par la pince du fer du cheval. Cette pourriture n'eut point de suite: parceque profitant des fautes passés j ne tirai point les filets spermatiques; et ce qui est un grand point, cest que les saignées et les opérations préliminaires avoient été diligemment faits."

Adjungi debent quae Acrel[1]) de hoc re scripsit: „Juvenis, viginti et aliquot annos natus post gonorrhoeam effluvium leve retinuit usque ad mensem nonum. — Refrigerationes, vigelia, aliaque vitia contra sanitatis regulas succos corporis ita corripuerunt, ut rheumatica dyscrasia locis et temporibus diversis se manifestaret. Tandem omissa omni cura effluvii ejusque sequelarum, subito vehementem dolorem in testiculo dextro sensit, qui una cum tumore ejus in horas auctus est, ita, ut decumbere cogeretur. Statim vena aperta et cataplasmata Gonlardi ex plumbo adhibiia sunt. Perpetuum symptomatum incrementum pluries reiterationem medicaminum memoratorum etc. postulavit. Quatuor venaesectiones, hirudines ad anum, laxantia frigida clysmata, abstinentia avictu nutriente, cataplasmata resolventia rapidum decursum febris, inflammationis, tumoris et doloris ad ingentem gradum prohibere non potuerunt. Die undevicesimo locum altiorem et haud persipicue molliorem in superiore et interiore testiculi margine prope rhaphen et septum scroti animadverti. Qui non ut tela cellulosa mox in liquefationem abitura sive jam pus continens, se habuit, nam externa cutis neque rubicunda vel inflammata, sed aequalis coloris, quam caeterae partes, neque soluta superficie testiculi, sed continua et cum ejus corpore arcte conjuncta erat nec non pulsatio vel dolor peculiaris in eo aderat, sed tantum in testiculo. Quae una cum pertinaci inflammatione et vehemetia symptomatum in vulgari orchitide insolita ex causa venerea, aut alia, occasionem praebuit timendi, ne in ipsa testiculi substantia solutio adesset. Locus altior usque ad diem vicesimum primum sem-

---

[1]) cf. Olof Aorel Dr. etc. chirurg. Vorfälle 1. Bd.

per increverat, quo magnitudinem ovi gallinacei aequaret. Jam mollior sentiebatur, neque tamen talis, qualis in abscessu maturo, non aderat fluctuatio peritis viris facile distinguenda. Epidermide paululum secata, cutis sponte rupta est, qua pro pure sanguinis serum effluxit. Specillum in malaciam creditam intravit; ne gutta puris quidem prodeunte. Quare perspique intellexi, hic non suppurationem ortam esse, sed testiculum ipsum tunicam propriam rupisse est intumu nisse. Symptomata vehementia paulo minuta sunt. Meditans de optima via, necessariam aperturam in molliori testis parte instiuendi, lapidem causticum Parissiensem elegi. Pars tenuis longitudine digiti phalangis, et unamet dimidiam lineam crassa, juxta tumescentiam testis imposita et quatuor horis post ablata est, quo facto bonam et exspectam escharam effecerat. Propter idio syncrasiam cutis hominis aegroti eschara vinctura sicca separari debuit. Levibus incisionibus hanc separationem escharae acceleravi, quae cum corpore testiculi ipso conjuncta erat. Die decimo tertio eschara delapsa, prohibere non potui, ne pars substantiae testiculi perderetur. Quod malum superatum aliud secutum est, nempe accessus reliqui testis ad aperturam. Accurata et diligenti applicatione habenularum emplastri adhaesivi et suspensoriorem opus erat, ne hoc malum intraret. Sensim sensimque apertura externa minor, testis solidior et quarta hebdomade perfecte tutus redditus est, ne prolaberetur. Testis manifesto minor, quam sinister erat, sed perspique sentiri potuit."

Similiter Justus Schlegel [1]): „Tiro generosaeestirpis 11 annorum, jam antea et eodem tempore, quo ad nosocomi portatus erat, impetigene scabiosa ad munus, poplitem et abdomen laborans, de doloribus vehementibus scroti questus est, erysipelatis modo inflammati et indurati. Dolores vix permiserunt, ut tangi posset et in horas augebantur. Causa in obscuro erat et tantum inflammationem quam celerrime superare

[1]) cf. Materialien für die Staatsarzneiwissenschaft u. prak. Arzeneik. herausgegeben v. Dr. Jul. H. G. Schlegel etc.

studuimus. Adinternum usum ter per diem ordinari grana tria Calomelanos, hirudines ad perinaeum applicari et cataplasmata ex calida aqua Coulardi et pane albo institui jussi: sed omnia frustra adhibebantur.

Inflammatio increvit, dolor adauctus est. Tertio die emollientes et mitigantes fomentationes ex lacte, croco et pane albo in usum vocatae sunt. Quarti diei matutino tempore. quo testes jacebant in totius ambitus inferiore parte, maculae duae magnae ex violaceo colore nigrae apparuerunt, quibus jam vespere apertis, parva copia saniei aqnosae et putridae effluénte, testiculus uterque in conspectum venit. Pendebant epididymides, minima parte corruptae, langa fila conformantes, quae hic illio filorum linteorum instar conturbata et lacerata videbantur. Cataplasmata continuabantur; sed plus extrudebatur. Vespere vulnus cum balsamo Arcaci et extracto opii adligavi. Quinto die adhuc plura et longiora fila foras pendebant, quae, quum non admodum sensilia essent, prope ipsam testis substantiam reliquam forfice secavi et, cum fomentis calidis substantia magis solvi videretur, scrotum non admodum sensibile esset, aqua frigida lavari jussi et vespere carpiam siccam adligavi.

Tum vulnera multo puriora, arctiora, minora, rubicundiora evaserunt et continuato aquae frigidae nec non carpiae siccae usu, tredecim diebus perfecte sanata sunt. Magni effectus aquae frigidae facile cognosci potuerunt; jam ad ligaturam primam omnia mutari visa sunt. Sanatione finita aegrotum per aliquot dies suspensorium imponere jussi, — Nonnullos annos post hunc morbum eundem juvenem scrutatus sum et inveni ejus testiculos secundum annos non minores esse. Per hoc temporis spatium nunquam ullum dolorem sensit. Testiculi siculi antea movebantur et statu naturali frui videbantur."

Abscessus ex tunica vaginali communi morbosa orti affert exemplum Hebensteit [1]): „Juvenis in intinere magno pluries orchitide laberavit, quae vero, si alicubi per aliquod tempus

---

[1]) cf. B. Bele's Lehrbegr. d. Wundarzeneikunst. Bd. 7.

quiet ferni potuit, adhibitis remediis externis nonnullis re soluta est. Loco, quo postremo moratus est, febre gastrica affectus et ab experto medico liberatus est.

Hinc proficiscentem orchitis una cum dolore vehementi iterum incessit et autore chirurgo quodam cataplasma emolliens impositum est.

Ego partem, cum eam mihi ostendisset, in tali statu inveni, ut rosolutio exspectari non posset, quare cataplasmata continuari jussi et interna remedia praescripsi, quae praesens febris symptomatica et status universalis postulabant. Fluctuatio jam altero die perspique sentiri potuit et post nonnullos dies tumor parva incisione apertus est. Parum puris effluxit, sed e profundo vulnere prodiit fungus secundo aut tertio post incisionem die jam fere digitum altus et ultra digitum dimidium crassus et cum basi aliquantum angustiore tunicae vaginali communi testis insidens, cujus ex tela cellulosa degenerata ortus esse videbatur. Fungus hic plane torpidus erat. Circumdatus est vincturis illimtis mixtura e melle rosato et extractis myrrhae et cicutae, supra vero cataplasma ex cicuta, herbis amaris et resolventibus impositum. Hac curatione fungus partim sponte separatus est, partim per strata sine dolore aegroti cultello ablatus, Una cum hac separatione tumor testiculi decrevit et mox naturalem magnitudinem obtinuit. Vulnus per totum tempus parum puris edidit, quod vero speciem puris ex ulceribus sorophulosis prae se tulit. Separatione fungi finita, ulcus remanens purius mox evafit et sub finem tenuis hydrargyri sublimati solutio adhibita est. Tribus hebdomadibus peractis tota apertura sana et recente carne impleta et ad cisatrisationem apta fuit. Interne, dum separatio fungi duravit, nonnisi decocto saturato Sasaparillae et stipitum Dulcamarae una cum baryta muriatica et postremo cortice febrifugo usus est."

Fistulae sic dictae seminalis exemplum in venimus in ephemeridibus anglicis insignibus, qibus nomen est: Medical observations and enquiries etc Vol. II: „Viro 35 annos nato post contusionem suppuratio utriusqne testis orta et sponte

aperta est, qua fistulae in utroque latere remanserunt, in epididymidem tumidam penetrantes, liquorem tenuem albicantem secernentes et, quod ex deficiente seminis inter coitum emissione patebat, cum tubulis seminalibus communicantes. Chirurgus Samuel Jngham omnes hac fistulas ope specilli concavi dilatavit, partes induratas cutemque degeneratam obscidit, quo facto modica febre et doloribus exiguis quinto vel sexto die suppuratio intravit et aegrotus tribus hebdomadibus sanatus est, ita ut ejaculatio seminis tam fortis et tam copiosa esset, quam unquam ante morbum [1])."

His sine dubio adumerandus est, quem Acrel [2]) sarcoceles nomine describit, casus. „Socius aurificis, 22 annos, natus, auxilium petiit ex nosocomio ob herniam carnosam sic dictam. Testis durissimus, magnitudine ovi anserini erat. Interiore in latere prope rhaphen scroti invenibatur fistula carne soluta obducta, cum teste cohaerens. Nihil syphilitci huic malo in erat. Homo vero equitatione forti ante tres annos testem sese contudisse putavit, cum inde ab hoc tempore malum incepisset ac increvisset. Ante annum speciem suppurationis imitabatur, quae ex parte vere accessrrat et fistulam memoratam reliquerat, sine aliqua testiculi tumidi diminutione. Omnia ad resolutionem tentata medicamina frustra adhibebantur, quare nihil supererat, quam cactratio, quae cum bono successu instituta est, ita ut sexta hebdomade vulnus concresceret."

---

[1]) cf. Callisen's System d. neuern Chir. ect. v. A. C. P. Callisen etc.

[2]) cf. Acrel's chirurg. Vorfälle. 1. Bd.

VITA.

Ego Alexander Altdorfer d. v. mensis Martis anni MDCCCXIV Plessiae, patre Rudolpho, matre e gente de Wachowsky, natus, confessioni catholicae addictus sum. Anno decimo quinto aetatis gymnasium adii Gliviciense, quo anni MDCCCXXXII mense Octobri relicto maturitatis testimonio instructus inter cives academiae militaris medico - chirurgicae receptus et anno MDCCCXXXIV instituti regii medico - chirurgici Friderico - Guilelmiani alumnis adscriptus sum. Perquadriennium hosce celeberrimos et illustrissimos viros de variis rei medicae doctrinis disserentis audivi.

Cel. Wolff sen. de hodegetice, logice et psychologia; Ill. Link de botanice, historia naturali; Cel. Turte de physice, chemia et pharmacia. Ill. Mitscherlich de chemia; Ill. Schlemm de osteologia, anatomia universa atque organorum sensuum, de splanchnologia et syndesmologia; Ill. Müller de physiologia; Cel. Eck de physiologia; Ill. Fr. Hufeland de pathologia generali, semiotice, therapia generali et speciali; Ill. Horn de pathologia speciali, de morbis mentis et de syphilide; Ill. Osann de materia medica, de auxilio in repentinis vitae periculis praestando et de fontibus medicatis; Cel. Casper de arte formulas medicas concinnandi; Cel. Kluge de arte fascias rite imponendi, de arte obstetricia, de chirurgia generali, de ossium fracturis et luxationibus, de akiurgia; Ill Juenken de chirurgia speciali, de ophthalniatrice et de akiurgia; Cel. Froriep de anatomia chirurgica; Ill. Hecker de Celsi libris atque Burserii institutionibus; Ill. Wagner de

medicina forensi practica. Exercitationibus clinicis interfui; Ill. Bartels et Cel. Wolff medicis chirurgicis et ophthalmiatricis Generos de Graefe; obstetriciis Cel. Kluge.

Denique praelectiones ad medicinam veterinariam spectantes frequentavi: de osteologia animalium domesticorum Cel. Gurlt; de morbis epizooticis et de zoodiaeta Cel. Reckleben; de equorum forma externa et habitu Beat. Naumann.

Omnibus his viris excellentissimis maximas, quas possum, habeo gratiam.

Quadriennio exacto, per undecim menses in nosocomio Caritatis Berolinensi medici inferioris munere functus et inde a Calendis Aprilis h. a. Postampii in cohorte, cui nomen est: Garde - Reserve - (Landwehr) Infanterie - Regiment, locum medici militaris inferioris teneo.

Jam vere tentaminibus tam philosophico quam medico et examine rigoroso absolutis, spero fore ut dissertatione thesibusque publice defensis summos in medicina et chirurgia honores adipiscar.

THESES.

1) *Nonnisi signis acusticis ad dignoscendam graviditatem fides est habenda.*

2) *Vomitus et diarrhoea non ad symptomata pathognomonica cholerae asiaticae, sed ad vim medicatricem naturae pertinent.*

3) *In praxi privata mercurii usus ad sanandos morbos syphiliticos antiphlogosi praeferendus.*

4) *Castratio in curanda orcheopyosi pro ultimo refugio habenda.*
